

Ego ita veneror, amplectorque communem hanc antiquamque sententiam, ut non tamen in illam totus abeam, sed magis sim pronus in contrariam. Quod etiam faciunt Vatablus, Serarius, Cajetanus. Est enim durum omnia fermè, quæ in hoc extremo capite dicuntur, ad superiorem illam cogitationem contorque, et quodammodò trahere renitentia. Si enim aliquis textum mediocriter attentus consideret, inveniet hæc bella post reditum Davidis in patriam contigisse. Hoc enim indicat apertè illud: *Factum est autem rursus prælium Philistinorum adversus Israel.* Illud rursus repetitum indicat bellum, et renovata Palæstinorum odia. Deinde satis explicatè, atque distinctè ponitur præliorum ordo, dum dicitur, quod illorum primum, quod secundum, quod fuerit tertium, quod quartum; ponitur autem tertium, in quo ab Adeodato occisus esse traditur Goliath.

Sed quia tota ratio, quæ contrariam suadet, firmatque sententiam, ex Goliath sumitur, aliæ enim nullum exhibent mex cogitationi negotium, hanc expendamus prius, et quod erit non omninò difficile, confutemus. Et primum ille, qui Adeodatus dicitur, et filius Saltus, non erat David, ut statim suo loco dicemus. Neque Goliath, quem Adeodatus occidit, ille fuit, qui in valle Terebinthi cecidit à Davide percussus, sed alius, qui in Gob. Neque obstat, quòd Gethæus sit, et ejus hasta quasi textentium liciatorii molem habuisse dicatur. Quid enim prohibet alium esse, qui æquale possit cum Goliath hastæ pondus vibrare. Sanè Isibano habuit ferrum, quod habebat in hastâ prior Goliath, quod pondus liciatorii textentium magnitudinem exigebat. Neque minùs credo fuisse pondus in hastâ, quam Goliath alter ferebat liciatorio similem. Argumenta reliqua suo tempore commodiùs expendemus.

Si ad argumenta omnia responderem, hic similitudinis notam subaudiri, nihil dicerem inusitatum aut novum, tum in sacrâ, tum in profanâ literaturâ. In hunc sensum: Ille, quem occidit Adeodatus, erat quasi Goliath Gethæus, cujus erat hasta quasi liciatorium. Aut occidit alterum Goliath, id est, gigantem, qui priori neque magnitudine, neque virtute militari cederet. Quo modo si quis cum callido furacique contendat, aut qui cum forti, domitoreque ferarum, ille optimè diceret: Cum Mercurio, atque Hercule mihi res est; aut: Alterum video

Mercurium, alterum Herculem. Et fortassè ille cum alio esset nomine notatus, dicebatur Goliath à vulgo, qui illius admirabatur molem, et robur. Hoc loquendi genere usus est Virgilius lib. 9, ubi sic Pandarum alloquitur Turnus:

Incipe, si qua animo virtus, et consere dextram: Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem. Id est, invenies alterum, quo non sit Achilles virtute et robore præstantior. In hunc modum explicant Vatablus et Serarius.

Sed est alia longè gravior, quæ negat Adeodatum esse Davidem, et hunc Goliath esse illum, quem David adolescens occidit in valle Terebinthi, sumpta ex lib. 1 Par. cap. 20, ubi hæc eadem prælia, uno tantum excepto, narrantur; ubi sic de hoc Adeodato, et Goliath v. 5: *Aliud quoque bellum gestum est adversus Philistæos, in quo percussit Adeodatus, filius Saltus, Bethlehemites, fratrem Goliath Gethæi, cujus hastæ lignum erat quasi liciatorium textentium.* Eo vides hunc Goliath ab illo superiore diversum, cum illum fratrem vocat Gethæi, illius videlicet cujus erat nomen in Palæstinâ celebre, et penè proverbiale. Quocumque modo nomen fratris accipias, sive quia ex eodem, quo Goliath, utero natus est, quod propriè sonat fratris appellatio; sive quia frater ex usu Scripturæ similitudinem quamdam importat, quia inter fratres propter generis, ac sanguinis communionem, major esse solet similitudo. Proverb. cap. 18, v. 9: *Qui mollis, et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis,* id est, similis, ut nemo non videt, et hoc posterius magis mihi probatur; neque enim puto alium Goliath Arapha esse filium, tum quia de illius genere, atque natalibus nihil audimus, tum maximè quia Arapha hoc loco quatuor dicitur suscepisse filios, qui ibidem nominantur, et tamen ab hoc numero, ut vidimus, alter ille Goliath excluditur; est igitur frater Goliath, similis Goliath, de cujus nomine aliquid habemus in loco citato ex Paralipomeno, ubi illius nomen, nisi Hebræum textum dicamus parum esse sincerum, est *lachmi*, de quo statim pluribus.

VERS. 16. — DEFICIENTE AUTEM DAVID, JESBIBENOTH (1), etc. Cum diù, ut apparet, certatum

(1) QUI FUIT DE GENERE ARAPHA. Verti posset: *Jesbi filius Ob, è genere Rephaim, vel gigantum.* Septuaginta: *Jesbi de Nob è genere gigantum.* Erant Rephaim veteres provinciæ illius gigantes. Hebraica syntaxis, v. 18, 21, 22, hujus capitis innuere videtur, *Rapha* gigantem fuisse prioris ætatis celebrem, qui plures genuerit

est, et anceps videretur exercitùs utriusque conditio, defessusque jam esset David, vel quia pugnârat diù, vel quia gravior ætas, et fracta laboribus debilitarât vires, aggressus est illum vir quidam giganteæ molis ex genere Arapha, cujus hastæ ferrum trecentas appendebat uncias, quot hasta prioris Goliath, qui nisus est percute Davidem, quem in eo deficientis senilis corporis languore aut oppressisset omninò, aut saltem adduxisset in angustum, nisi illi Abisai opportuno fuisset subsidio, qui gantem occidit, et à regis capite periculum avertit.

ET ACCINCTUS ERAT ENSE NOVO. In Hebræo non est *ense*, sed tantum *chadasah*, sed noster interpretis addidit *ense*, ut clarior esset, atque perfectus sensus. Tunc autem ego non tam puto ensem esse novum, id est, recentem, et eo tempore incude elaboratum, aut ab artifice ferrario politum, quam recenter tunc gladio et usu jam trito gigantem illum fuisse succinctum, id est, illius latori noviter appensum esse gladium. Quasi diceret, primo die, quo bellum est aggressus, periisse, et dum regi conatur vitam eripere, ut ex regiâ cæde honorem sibi pareret immortalem, suam amisisse. Et illud valet, meo judicio, *וְהָיָה*, quæ in terminatione femineâ usum habet interdum adverbii. Simile aliquid habes apud Virgilium de Pallante lib. 10, cui idem dies initium atulit pugne, et vitæ finem. De quo ibi Maro:

liberos; vel saltem famâ nominis claruisse olim gigantem *Rapha*, cujus appellationem reliqui gigantes adsciverint.

CUJUS FERRUM HASTÆ TRECENTAS UNCIAS APPENDEBAT. Hebræus: *Pondus hastæ ejus trecentorum siclorum æris*, id est, octo librarum, additis uncias nonnullis, cum siclus hemiunciam, seu quatuor drachmas Romanas contineat. Syriacus et Arabs accipiunt de loricâ; Vulgata cum interpretibus nonnullis, de ferro hastæ. Sed Hebræus, Chaldæus et Septuaginta totius hastæ pondus esse decernunt. *Æris* nomen designare hic puto materiam cuspidis hastæ præfixâ, non verò siclum æneum; nullam enim nôrant Hebræi ante captivitatem ære cusam monentam; sed æs aliasque res ad sicli pondus æstimabant. Vertendum igitur maluerim: *Pondus hastæ ejus æreæ trecentorum siclorum æris*; quæ si admittatur interpretatio, dictum accipi oportet de cuspe lanceæ.

ACCINCTUS ERAT ENSE NOVO, nullis adhuc usibus detrito, vel eximio, tam benè limato, quasi nulli adhuc rei servisset. Aliter: Novus erat miles, et tunc primum aderat certamini. Hebræus ad litteram: *Ipsè accinctus novo*, quod exponi potest de vestibus, armis, vel cingulo novo, vel de homine tunc primum armato. Septuaginta: *Et ipsè accinctus balteo*; in editione Romanâ: *Et ipsè ferebat clavam*; Symmachus, *ensem*, Theodotion, *balteum*. (Calmet.)

O dolor, atque decus magnum rediture parenti Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem auferit.

VERS. 17. — (1) TUNC JURAVERUNT VIRI DAVID, DICENTES: JAM NON EGREDIERIS NOBISCUM IN BELLUM, NE EXTINGUAS LUCERNAM ISRAEL. Cum animadvertenter qui consilio erant, et auctoritate principes in exercitu, in Davidis capite ad communem salutem multum esse momenti, jurisjurandi religioso nexu seipsos obligarunt, ne unquam regem in aciem prodire, et simile oppetere discrimen paterentur. Illud porrò, *extinguere lucernam*, nihil est aliud quam perire illud, quod erat regni totius lux, et splendor; quo sublato sic maneret populus deformatus et mœstus, quomodò facies oculis effossis, aut mundus sole de cœlo sublato; utrumque enim appellatur lucerna. Et quidem David, si quis alius in republicâ princeps omnium meritò lucerna potuit appellari, qui et populo maximum ornamentum fuit, qui sicut viva quædam lex, quæ etiam appellatur lucerna, prævit omnes et vitæ exemplo, et zelo justitiæ. Quare sicut sine sole mundus jaceret in tenebris, sine oculis homo erraret cæcus proximus ruinæ, sine lege neque pacem haberet, neque vivendi modum securum et rectum, sed omninò sensuum suorum obsecutus vanitati, ra-

(1) Un géant étant prêt de tuer David, Abisai le prévint, le tua et sauva David. L'Écriture nous représente ici les principales guerres de David. Elle dit qu'à la première de ces guerres, il pensa être tué par un homme de la race des géants. Dans les trois autres, elle marque toujours qu'il s'y est trouvé quelqu'un de ces hommes d'une grandeur et d'une force extraordinaire. Ceci nous fait voir le grand cœur que Dieu avait donné à David, qui le portait à vouloir se trouver en personne dans tous les combats. C'est ce qui oblige ses principaux officiers de lui faire cette protestation avec serment: *Nous ne souffrirons plus que vous vous trouviez au combat avec nous, de peur que vous n'éteigniez la lampe d'Israël.*

Mais, lorsque nous considérons que, selon tous les saints, David était la figure de Jésus-Christ et de son Église, il est difficile, en parlant de ses guerres, de ne nous pas souvenir des nôtres, et de ces esprits invisibles que nous avons à combattre, à qui l'Écriture donne si souvent le nom de Géants. *Que les Géants qui paraissent morts, dit Isaïe, ne ressuscitent plus. Gigantes non resurgant.* Ces ennemis nous attaquent à toute heure, et nous n'avons avec eux ni paix ni trêve. *Nous sommes souvent abattus de lassitude dans ces combats, comme l'Écriture dit ici qu'il est arrivé à David.* Et alors ce ne sera point un homme comme était Abisai qui renversera ces géants, qui sont toujours prêts de perdre notre âme, mais ce sera celui de qui David dit lui-même dans ses Psaumes: *L'ennemi m'a poussé avec violence, et j'étais prêt de tomber; mais le Seigneur m'a soutenu.* (Sacy.)

tiones communes et publicas perverteret; sic Davide sublato, in tenebris videretur jacere populus, et à rectâ virtutis semitâ devius, et effrenis in præceps ruere voluntarius.

VERS. 18. — SECUNDUM QUOQUE BELLUM FUIT IN GOB (1). De hoc bello nihil habemus certum, nisi quod hoc loco sacer prodit historicus, et lib. 1 Par. c. 20, ubi nihil habemus aliud quàm à Sabachi Saph de stirpe Arapha, id est, de genere gigantum, interfectum fuisse.

VERS. 19. — TERTIUM QUOQUE FUIT BELLUM IN GOB CONTRA PHILISTÆOS, IN QUO PERCUSSIT ADEODATUS (2), etc. De hoc supra satis, dùm probavimus neque Adeodatum esse Davidem, neque hunc Goliath esse illum, de quo lib. 1 Reg. cap. 17. Nunc videndum, quis sit iste Adeodatus, filius Saltus, etc. Hieronymus in Trad. Hebr., unde sumpserunt alii plures, dicit ex Hebræorum sententiâ, hunc esse Davidem, cujus nomen et genus, præsens antiquaque conditio his tot nominibus exprimitur: Adeo-

(1) Hic locus Gazer appellatur in 1 Paralipomenon 4, ubi eadem hæc historia recitatur. Sita erat Gazer in ditone Philisthæorum, inter Azotum et Accaronem. Gob mendum est forte amanuensis Hebræi.

HUSATI vel HUSATHI; loci hujus situs ignoratur. Saph appellatur Saphai in 1 Paralipomenon 20, 4.

(2) In Gob. Septuaginta in quibusdam codicibus legunt *Nob*, in aliis *Geth*; sed vera lectio facilè est *Gazer*.

PERCUSSIT ADEODATUS, FILIUS SALTUS, POLYMITARIUS BETHLEEMITES, GOLIATH GETHÆUM. Expressa est hic significatio propriorum nominum Hebræorum contra leges interpretationis sancientes, ut eorum pronuntiatio intacta relinquatur. Igitur legi posset: *Elchanan filius Jaharim textor Bethleemites percussit Goliath Gethæum*. Sunt qui *Elchanan* ipsum esse Davidem censeant; repugnant tamen plerique, nec immeritò, 1^o quòd nulla coegerit necessitas, Davidis et patris illius nomen ita tegere, ut veritas agnosci non possit, 2^o totius erroris fontem indicat 1 Paralipomenon 20, 5, ferens in Hebræo: *Elchanan filius Jair percussit Lechem, fratrem Goliath Gethæi*. Alius est igitur *Elchanan* à Davide; neque Goliath, sed fratrem ejus Lechem interfecit. Fateamur tamen oportet, in eo nomine *Lechem* correptionem videri textum libri Regum, quàm Paralipomenon; emendandumque maluerim posteriorem ex priori hanc sententiam: *Elchanan filius Jair Bethleemites percussit fratrem Goliath*. Recensetur inferius inter viros strenuos exercitûs Davidici *Elchanan filius patris Joabi de Bethlehem*; quem virum ab *Elchanan*, de quo hic, diversum esse non credo. Nomen fratris usurpari potest sive in vulgari significatione, sive de gigante, ejusdem roboris et proceritatis ac Goliath: id enim posterius sonat in Proverbiis 18, 9: *Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis*; ambo enim ad extremam inopiam rediguntur.

« *datus, inquit, ipse est David*. Idcirco dicitur « *Adeodatus, quia à Deo est electus in regnum*, « *Filius Saltus, quia de saltu ubi oves pascebat, est eductus*. Polymitaris, quia de genere Beselael mater ejus fuit. Bethleemites, « *quia Noemi et Ruth, tempore ubertatis reversæ sunt in Bethleem*. » Hæc Hebræi, qui in fingendis rerum causis nimis sunt audaces, et quantum volunt, sibi assumunt licentiæ. Mihi placet, quod Cajetano et aliis penè omnibus, qui hæc transtulerunt, præter Vulgatum, qui propria hic adhibuere vocabula, non appellativa, nempe *Elchanan filius Jaere Oagim Bethleemites*. Ita Septuaginta, Pagninus, Tigrina, Isidorus, Cajetanus, et Hispanica antiquissima translatio. Et puto hæc esse nomina non appellativa, sed propria, et à nostro interprete, quod alibi fecit millies, nominum significationes pro ipsis adhiberi nominibus. Quod nos multis exemplis confirmavimus ad illud Cant. 6: *Suavis, et decora, sicut Jerusalem*. Lib. 1 Par. cap. 4, pro quatuor nominibus propriis eorum adhibetur significatio: *Qui stare fecit solem, virique mendacii, securus et incendiens, pro Jochim, Choceba, Joas, et Saraph*. Quare non est cur de horum nominum significatione laboremus, maximè quia, ut dixi, nihil hic habemus, quod ad Davidem pertineat.

Illud hic observandum, ubi lib. 1 Par. citato dicitur ille, qui Goliath istum occidit, esse Bethleemites, Hebraicè esse *eth lachmi*, quod sanè, si corruptus non esset textus, esset in accusativo; et tunc illud *lachmi* nomen esset proprium gigantis, et illius loci hæc esset sententia: Percussit Elchanan Lachmi fratrem Goliath. Et ita Septuaginta reddunt, et alii fermè omnes à Vulgato. Sed puto textum Hebræum fuisse corruptum, et nostrum interpretem legisse aliter, nempe *בית לחמי*, id est, Bethleemitem, pro *לחמי את eth lachmi* cum articulo accusativi. Est tamen hoc argumentum non leve, ut existimemus, quod supra dicebamus, Goliath non esse proprium nomen illius gigantis, de quo in præsentia, quando hic proprium illius in Hebraico textu nomen invenitur.

VERS. 20. — QUARTUM BELLUM FUIT IN GETH (1).

(1) VIR EXCELSUS, gigas. Hebræus: *Vir mensuræ*; vel juxta alios: *Vir rixæ*, rixosus, Septuaginta: *Vir Madon*. Regis Madon meminit quidem Josue; sed urbis hujus situs ignoratur. Capellius: *Vir Madian*.

QUI SENOS IN MANIBUS PEDIBUSQUE HABEBAT DIGITOS. Immani corpore gigas, et quatuor ac viginti exhibens digitos, monstrum erat. Recit-

De hoc bello nihil habemus aliud, quàm hominem giganteæ vastitatis, et molis, qui in singulis pedibus ac manibus senos haberet digitos, quique contra Deum Israel impiam exeruit linguam, à Jonathâ filio Sameæ fratris Davidis interemptum fuisse. Neque quid hic video, quod majorem ab interprete lucem desideret. (1)

VERS. 22. — HI QUATUOR NATI SUNT DE ARAPHA IN GETH. Hic nos tantis perhæreamus oportet, expendamusque, quænam sit hæc Arapha, de qua varii sunt interpretum, et Rabbiorum explicandi modi. Rabbini quidam Arapham, quam Goliath matrem esse putant, quod nos supra falsum esse diximus, eandem esse putant cum Orpha nuru Noemi. Quod tenet Pseudophilo in Antiquitatibus Biblicis; quâ de re nos supra ad cap. 17, ubi egimus de Davidis et Goliath singulari congressu. Quod approbasse videtur Prudentius in Hamartigeniâ, ad finem, ubi sic de Orphâ, qui relictâ socru Noemi maluit gentilicis adherere sacris:

Sed pristinus Orphæ

*Fanorum ritus præputia barbara suasit
Malle, et semiferi stirpem nutrire Goliæ.*

Sed hanc Rabbiorum ineptam esse cogitationem multa probant. Primum, quia apud Hebræos longè diversum est nomen Orphæ ab Arapha, licet in latinâ formâ aliqua appareat similitudo cum modico discrimine. At in Hebræo maximum in radicalibus litteris discrimen apparet. Orpha enim de quâ in libro Ruth, dicitur *ורפה Orpha*: at quatuor istorum gigantum mater hoc loco dicitur *ררפה*. Deinde quia ad hoc usque tempus Orpha vitam producere non potuit: nisi dicamus tot annos

tantur in historiâ nomina quædam hominum senis digitis ad manus pedesque instructorum. Filiiæ C. Horatii, viri è genere patricio, *sedigita* ex senis digitis appellabantur. Volcatius, cujus est nomen inter poetas clarum, pari de causâ per cognomen obtinuit. (Calmet.)

(1) VERS. 21. — PERCUSSIT AUTEM EUM JONATHAN FILIUS SAMAA FRATRIS DAVID. Hebræi apud S. Hieronymum censent hunc *Jonathan* esse *Nathan* prophetam. « *Jonathan, inquit S. Hier., ipse est Nathan propheta, qui habuit duos fratres Joel et Jonadab; idcirco ei hic nomen patris ponitur, quia inter præliatores describitur*. Ubi verò de prophetiâ ejus scribitur, « *non ei annotatur pater, eò quòd pater ejus propheta non fuerit*. » Verùm longè verius, imò mihi certum est, *Jonathan* non fuisse *Nathan* prophetam, nec Adeodatum, de quo v. 19, ut volunt alii, sed ab utroque diversum. Addit Joseph: « *Hoc prælium cum gente (Philisthæâ) fuit ultimum; non ausa postea se contra Israelitas movere*. » (Corn. à Lap.)

vixisse quot eo tempore nemo vixisse reperitur. Ad hoc namque tempus interessere primum anni quos ipsa vixerat, quando cum socru Noemi migrare in Israelitidem terram cogitavit. Deinde anni Obed, quem ex Ruth Moabitide suscepit Booz; et Isai, et tandem Davidis, qui hoc tempore non longè aberat à sexagenario. Quòd si demus ad illud pervenisse tempus, quam vim habere potuit tam grandis femina, ut illa tot robusta hominum monstra conciperet? Præterea hæc Gethæa fuit, illa verò Moabitis genere, et Moabitis regionis habitatrix. Facessant igitur Rabbini cum suis sive somniis, sive nugis; neque nobis persuadere studeant, quod tam abest procul ab humanâ fide.

Illud mihi magis videtur verisimile, ab hæc Araphâ, quæ ex genere videtur fuisse gigantum, deductum esse nomen jam commune, quod datum est illis, qui colossæam habent molem, et gigantæum pondus: hi enim vocantur *Raphaim*, quasi *Raphah*, sive *Arapha* filii. Sicut ab Enac, qui vastam habuit, et gigantæam magnitudinem, gigantes vocantur *Enacim*. Et quidem qui hic dicuntur filii *ררפה Arapha*, idem lib. 1 Par. cap. 20, vocantur filii *רפאים Raphaim*. Neque refert, quòd priori loco sit, *ר he*, hoc posteriori *N aleph*, quia, ut nōrunt qui mediocriter sunt in Hebraicis versati, duæ hæc litteræ, Aleph et He, permutabiles sunt. Hæc mihi de Araphâ videntur affirmari posse probabiliter.

VERS. 22. — ET CECIDERUNT IN MANU DAVID, ET SERVORUM EJUS. Hoc erat argumentum præcipuum, quo alii sibi persuaserunt hoc loco iterari certamen illud singulare, quo à Davide percussus est, et occisus Goliath; quia alioqui non apparebat, quomodò horum quatuor aliquis ceciderit in manu David. Sed non nimis urget hæc ratio eos, qui familiarem loquendi modum, tam in sacrâ, quàm in profanâ Scripturâ cognoverunt. Nam ut demus horum quatuor neminem à Davide percussum, quod non puto; quis enim dubitet in eo articulo, in quo de sanguine, et vitâ certamen erat, etiamsi langueret, atque deficeret David, non tamen simul cum Abisai ad gigantis interitum concurrisset? Quod si ita est, occisus ille vocari potuit à Davide, quia aliquid opis ab eo in illius interitum collatum est. Sed ut nihil ille gigantis ad mortem operæ contulerit, tamen quia in primo certamine dux erat, et aciem ipse instruxit, et moderatus est, quidquid in eo bello gestum est feliciter, ab illo factum censeri

debet. Ascribitur enim imperatori, quod illius exercitus aut consecutus est boni, aut passus mali. Sic à Cæsare multa dicuntur cæsa hominum millia, subversas urbes, subjugatas provincias, quia illo imperatore ac duce peracta

CAPUT XXII.

1. Locutus est autem David Domino verba carminis hujus in die quâ liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum et de manu Saül;

2. Et ait : Dominus petra mea, et robor meum, et salvator meus.

3. Deus fortis meus, sperabo in eum; scutum meum, et cornu salutis meæ; elevator meus, et refugium meum : salvator meus, de iniquitate liberabis me.

4. Laudabilem invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

5. Quia circumdederunt me contritiones mortis; torrentes Belial terruerunt me.

6. Funes inferni circumdederunt me; prævenierunt me laquei mortis.

7. In tribulatione meâ invocabo Dominum, et ad Deum meum clamabo : et exaudiet de templo suo vocem meam, et clamor meus veniet ad aures ejus.

8. Commota est et contremuit terra : fundamenta montium concussa sunt et conquassata, quoniam iratus est eis.

9. Ascendit fumus de naribus ejus, et ignis de ore ejus vorabit; carbonem succensi sunt ab eo.

10. Inclinauit cælos, et descendit; et caligo sub pedibus ejus.

11. Et ascendit super cherubim, et volavit; et lapsus est super pennas venti.

12. Posuit tenebras in circuitu suo latibulum; cribrans aquas de nubibus cælorum.

13. Præ fulgore in conspectu ejus succensi sunt carbonem ignis.

14. Tonabit de cælo Dominus, et Excelsus dabit vocem suam.

15. Misit sagittas, et dissipavit eos; fulgur, et consumpsit eos.

16. Et apparuerunt effusiones maris, et revelata sunt fundamenta orbis, ab increpatione Domini; ab inspiratione spiritus furoris ejus.

17. Misit de excelso, et assumpsit me, et extraxit me de aquis multis.

sunt. Sanè reges, ut est in proverbio, plurimas habent, et longas manus; quare quæ suorum manibus, eadem manibus regum administrari censentur.

CHAPITRE XXII.

1. Or David prononça les paroles de ce cantique à la louange du Seigneur, au jour où le Seigneur l'eut délivré de la main de tous ses ennemis, ainsi que de la main de Saül;

2. Et il dit : Le Seigneur est mon rocher, ma force, mon sauveur.

3. Il est mon Dieu fort, j'espérerai en lui; il est mon bouclier et la sûreté de mon salut; c'est lui qui m'élève si haut, et il est mon refuge. *Oui*, mon sauveur, vous me délivrerez de l'iniquité de mes ennemis.

4. J'invoquerai le Seigneur, si digne de louange, et je serai délivré de mes ennemis.

5. Car les douleurs de la mort m'ont environné, les torrents de Bélial m'ont épouvanté.

6. Les liens de l'enfer m'ont environné, et les filets de la mort m'ont enveloppé.

7. Dans mon affliction j'invoquerai le Seigneur, et je crierai vers mon Dieu, et il entendra ma voix de son temple, et mes cris parviendront jusqu'à ses oreilles.

8. La terre fut émue et elle trembla, les fondements des montagnes furent agités et ébranlés, parce que le Seigneur s'était fâché contre elles.

9. Une fumée s'éleva de ses narines; un feu dévorant sortit de sa bouche, et des charbons en furent allumés.

10. Il abaissa les cieux et il descendit, ayant un nuage sombre sous ses pieds.

11. Et il monta sur les chérubins, et il vola; il prit son vol sur les ailes des vents.

12. Il se cacha dans les ténèbres dont il s'est environné, et il fit distiller les eaux des nuées du ciel.

13. De l'éclair de sa face se sont allumés des charbons de feu.

14. Du haut du ciel le Seigneur tonnera; et le Très-Haut fera retentir sa voix.

15. Il lança ses flèches contre ses ennemis, et il les dispersa; ses foudres, et ils furent consumés.

16. Alors parurent les réservoirs de la mer, et les fondements du monde furent dévoilés par les menaces du Seigneur, par le souffle de l'esprit de sa fureur.

17. Il a étendu sa main d'en haut, et il m'a pris, et il m'a retiré des eaux immenses.

18. Liberavit me ab inimico meo potentissimo et ab his qui oderant me, quoniam robustiores me erant.

19. Prævenit me in die afflictionis meæ, et factus est Dominus firmamentum meum.

20. Et eduxit me in latitudinem; liberavit me, quia complacui ei.

21. Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum munditiam manuum mearum reddet mihi,

22. Quia custodivi vias Domini, et non egi impiè à Deo meo;

23. Omnia enim judicia ejus in conspectu meo, et præcepta ejus non amovi à me.

24. Et ero perfectus cum eo, et custodiam me ab iniquitate meâ.

25. Et restituet mihi Dominus secundum justitiam meam et secundum munditiam manuum mearum, in conspectu oculorum suorum.

26. Cum sancto sanctus eris, et cum robusto perfectus.

27. Cum electo electus eris, et cum perverso perverseris :

28. Et populum pauperem salvum facies, oculisque tuis excelsos humiliabis.

29. Quia tu lucerna mea, Domine, et tu, Domine, illuminabis tenebras meas.

30. In te enim curram accinctus; in Deo meo transiliam murum.

31. Deus, immaculata via ejus; eloquium Domini igne examinatum; scutum est omnium sperantium in se.

32. Quis est Deus præter Dominum, et quis fortis præter Deum nostrum?

33. Deus, qui accinxit me fortitudine; et complanavit perfectam viam meam;

34. Cœquans pedes meos cervis, et super excelsa mea statuens me;

35. Docens manus meas ad prælium, et componens quasi arcum æreum brachia mea.

36. Dedisti mihi clypeum salutis tuæ; et mansuetudo tua multiplicavit me.

37. Dilatabis gressus meos subtus me; et non deficiet tali mei.

38. Persequar inimicos meos, et conteram; et non convertar donec consumam eos.

18. Il m'a délivré de mon ennemi si puissant et de ceux qui me haïssaient, parce qu'ils avaient prévalu contre moi.

19. Il m'a prévenu au jour de mon affliction, et le Seigneur a été mon ferme appui.

20. Il m'a mis au large, il m'a délivré, parce que je lui ai plu.

21. Le Seigneur me rendra selon ma justice, et il me traitera selon la pureté de mes mains;

22. Car j'ai gardé les voies du Seigneur, et jamais l'impiété ne m'a éloigné de mon Dieu;

23. Car tous ses jugements me sont présents, et je n'ai point éloigné de moi ses préceptes.

24. Et je serai parfait avec lui, et je me garderai de mon iniquité;

25. Et le Seigneur me rendra selon ma justice et selon la pureté de mes mains en présence de ses yeux.

26. Vous serez, ô mon Dieu, saint avec les saints, et parfait avec les forts;

27. Vous serez pur avec les purs, et vous traiterez les pervers selon leur perversité :

28. Vous sauverez le peuple pauvre, et d'un regard de vos yeux vous humilierez les superbes.

29. Seigneur, vous êtes mon flambeau; c'est vous, Seigneur, qui éclairez mes ténèbres;

30. Car, confiant en vous, je chercherai le combat; oui, confiant en mon Dieu, je franchirai les remparts.

31. Dieu, dont la voie est irrépréhensible; la parole du Seigneur est comme purifiée par le feu; il est le bouclier de tous ceux qui espèrent en lui.

32. Qui est Dieu outre le Seigneur? et qui est fort outre Dieu?

33. Dieu, qui m'a revêtu de force, et qui a aplani la voie parfaite où je marche;

34. Qui a rendu mes pieds aussi prompts que ceux des biches, et qui m'a établi dans les lieux hauts;

35. Qui instruit mes mains à combattre, et qui rend mes bras fermes comme un arc d'airain.

36. Seigneur, vous m'avez donné le bouclier de votre salut, et vous m'avez fait grand par votre bonté.

37. Vous élargirez le chemin sous mes pas, et mes pieds ne me manqueront point.

38. Je poursuivrai mes ennemis, et je les écraserai; je ne retournerai point que je ne les aie détruits.

39. Je les détruirai, et je les briserai pour